

X a
3003



G. K.



CONSISTO- RIVM MANSFEL- DENSE

PIO ET BENEVOLO LECTORI SA-
LUTEM CUM OFFICIIS.

PP. die XVII, Februarij,

Ante seculum B. Luthero hic in patriã
emortuali.



Islebij Impressum Typis Gubisianis, Anno 1646.

118

58

Ra
ine
/in
deo
nda
nd-
fite
ano
ese
ner
nd-
de/
Ho





Nstat per DEI præpotentis nutum & gratiam dies 18. Febr. in mentem nobis revocās, quòd anno ab hinc centesimo, eo ipso die, hęc in Patria sua mortalitatem cum immortalitate commutaverit electum illud DEI organum, Beatus Lutherus, præceptor & in Christo pater noster meritissimus, ac ita non tantum ortu, sed & morte hanc urbem per totum ferè terrarum orbem reddiderit notissimam, nominatissimam. Quemadmodum ergò pij majores graves ob causas diem illum quotannis, per peculiarem concionem, & adjunctas pias ceremonias, non sine debita honoris præfatione nominati Theandri parentalem esse voluerunt: ita nos subtermino hoc seculari, non immeritò, ut speramus, idem agemus aliquantò solennius. In primis cum simile quid anno ab obitu ipsius quinquagesimo, 1596. nimirum, in celeberrima Academia Rostochiensis factum esse, ex literis Clarissimi Dn. D. Davidis Chytræi, ad meritissimum tum temporis hujus inclyti Comitatus Superintendentem, Dn. Georgium Autumnum exaratis, quas ad manus habemus, & ostendere possumus, plus satis constet.

Causas, propter quas tale quid aggredimur, præter indigitatas, habemus & alias non paucas, inter quas tamen eminent illa, quòd Eucharisticam aliquam solennitatem mereatur DEI misericordissimi gratia & benignitas, per quam nobis in hunc usq; diem, & sic per integrum ab obitu Lutheri seculum, illibatum conservavit Religionis salvificæ
per

39.

per ipsius ministerium repurgatæ depositum, contra omen non tantum adversariorum, sed & quorundam ex nostratibus; ut Dn. M. Laurentij Risebergij, Ecclesiastæ Gardelegensis, in Compendiaria præcipuarum rerum Turcicarum relatione, p. 126. ita scribentis:

Natus es Israhelii DIVINE propheta Luthere:

Religio fVLget te DVce, Papa laCet.

Sancte pater quoties tua conspicio ora Luthere,

Latitiam toties, tristitiamq; fero.

Latitiam, quod te Lux vivo Dia refulget:

Tristitiam, quod te Lux moriente perit.

Et aliorum, qui itidem sinistri quid ex discessu Lutheri Lutheranae Religioni augurari voluerunt. Cum igitur Deus per misericordiae suae viscera remaliter evenire, & nos illibata Evangelij veritate etiamnum hodie uti frui sinat, cur non grata mente hoc tantum beneficium, quo majus sol jam vix videt ullum, deprædicemus quibuscunq; possumus modis? Hic merito nobis dictum esse putamus illud Raphaelis Tob. 12. Regum & principum consilia & secreta secretò habenda, Dei verò opera manifestanda, & gloriosis laudum encomiis ad astra usq; efferenda esse.

Cum ergò non solum ob certas, easq; graves causas, Synodus totius Ministerij Mansfeldensis hoc tempore instituta est, ubi dicto die post concionem matutinam admodum Reverendus & Excellentissimus Dn. M. Michaël Emmerlingius, Superintendens noster generalis Synodalem orationem, & themata quædam theologo-historica ad fraternam συζητησιον Ministerio proponet; sed & post meridiem hor. 2. B. Luthero parentabit Reverendus & Clarissimus Dn. Collega noster, M. Christophorus Nirsch / P. L. Pastor ad D. Petri & Pauli; ac sequenti die iterum, finita concione, cir-

ne, circa IX. Eximius & Doctissimus Vir Dn. Johannes Ernestus Ganderus, Gymnasij Rector; itemq; Præstantissimus & Doctissimus Paulus Röseler, Collega Tertius, ille in pro-
sa, hic verò in ligata oratione exponet foundationem Gymnasij hujus, Luthero nostro acceptū ferendam, & benefacta etiam aliis scholis per Deum ipsius ope ac opera exhibita: Ideò petimus, quâ decet & par est ratione, ut omnes omnium ordinum literati his parentationibus, & orationibus publicis frequentes intersint, dicenda per silentium audiant, & sic faciant, quod nunquam iterum facturi sunt, hoc est B. Luthero justa secularia solvant.

Summe Deus, nostros verbi dignare nepotes

Lumine, quod nobis hætenus usq; micat.

Lumine nempe, tuus modio quod ritè remoto

Lychnucho imposuit Mysta Lutherus, Amen.

F I N I S.



ie
ro
/
er
er
n
y
h
s
/
/
te
ig

Pan Xa 3003, AK
f

ULB Halle 3
003 744 434






CONSI
RIVM MA
DENS

PIO ET BENEVOLO
LUTEM CUM OR

PP. die XVII, Febr

Ante seculum B. Luther
emortuali.



Islebij Impressum Typis Gubis



57

